



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioaachimvs Conf. 16. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

qui Christū terris, ut diabolum vinceret, commo-
davit. Clamet homo, elamet ad Deum, clamet,
Libera nos à malo; ut à tanto malo, solo Christo
vincente, liberemur. S. Pet. Chryf. serm. 70.

S. IOACHIMVS CONF. 16. Aprilis.

Felices Senæ! vel ideò quòd inter tot mundi
hodie libertos, ipsæ servos tot VIRGINIS nu-
merant. Ex his IOACHIMO nostro pileum hodie
in cælo Domina dedit. Vir fuit obsequendi studio,
sui contemptu, sed præcipuè charitatis æstu in
ægros mirandus. Exemplo fidem habe in paucis
memorando. Iter illi Arretium, ex itinere obuius
fuit, qui epilepsi, sed multò magis impatientiâ la-
borabat. Noster verbis, consilio, operâ suâ solatur:
sed nequicquam gravius jam animo quàm corpo-
re periclitante. Hic IOACHIMVS post preces
Deo fufas, in se novus medicus morbum omnem
transfert. Igitur Arretii ipso DOMINA ASSVMPTÆ
die, dum sacrificanti servit, cereumque elatæ in
sublime Eucharistiæ manu prælucet, cadit morbo
impellente: cereus tamen stationè in medio aëre
servat, gaudente utique Angelo in hominis offi-
cium involare. Sub hæc Senis vi morbi iterum
cadit, mensamque secum instructam trahit. Nihil
tamen fractum, nihil confusum. Sed & alia prodî-
gia clarum fecerunt, ut apertâ ad preces portâ,
radii precantis in oculo (quò sapius assuevit con-
cedere) caput visî cingere. Cæterum morbo omnî
superior, illud etiam velut vitæ rectè actæ præ-
mium à cælo emendicavit, ut viventis carnes ver-
minum agnien popularetur. Fatum obiit, quale ex-
petiit ac prævidit, ipso Christi morientis die, cum
illa verba focû legerent: *Et inclinato capite emisso*
I Spiritum

spiritum. Sed apud mortuum quoque medicinam morbi quæsiuerunt, & verò repererunt, Epileptici præcipuè, non ignari expertum mali hujus medicum se accedere. *Ex Ferrar.*

Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circūvenit judicium, pompa lædit, & tempus deserit, mutat aetas, hebetat infantia, juvenus precipitat, senectus frangit? S. Pet. Chryf. serm. 45.

S. HELENVS. C. 17. Aprilis.

Fvgiendum est citò, quod nocet citò. Sapit isto maturè HELENVS consilio, & è mundo priùs quàm pueritià exiit, tutius inter feras, quàm homines victurus. Iejunia producenti cacodæmon escas obruit; sed HELENVS & cocum & dapiferum aspernatus cum Cælo quàm Orco prandere maluit; mox enim Angeli, ut Christo quondam dapes esurienti ministrarunt. Tanto deinde promptius ipse quoque per longa itinerum spatia aliis prandia ferre, & si oneri succubuisset, on agris ea imponere, nil repugnantibus pigerrimis alioquin animantium. Neque jam solùm onera illius alini, sed ipsum etiam HELENVM, cum Mystam sacrificij causâ accerferet, per annè crocodilus transiit; adeò sanctitati obtemperant omnia. Discipulo ejus cum Orco minister libidinis faces admove-ret, incendiarium HELENVS ad tantas redegit angustias, ut extra circulum, quem in arenâ scipione descriperat, ne latum quidem unguem aut ungu-lam ponere sit ausus, donec turpe incendium ex-tingueret. Illud etiam memorabile, quòd illæsus ignem calcârit, Vt Zaream Hæreticum falsitatis argueret, qui perfidiam suam per flammam probare non ausus, Catholicæ Religionis, ut veri auri, pre-tium.